Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



118

Hæc dicit dominus exercituum de israel. Ecce ego visitabo regem babylonis. et terram eius. sicut visitaui regem assur. et reducam israel ad habitaculum suum. et pascetur carmelus et basan. et in monte ephraym. et galaad saturabitur anima eius. In diebus illis et in tempore illo dicit dominus. quærentur iniquitates israel. et non erit. et peccata iuda et non inuenientur. Quoniam propitius ero eis quos reliquero. Sup terram dominantium ascendite. et super habitatores eius visita. disserpa et interfice que post eos sunt. ait dominus. et fac iuxta omnia que precepi tibi. Vox belli in terra. et contritio magna. Quomodo confractus est et contritus malleus universe terre. Quomodo uersa est babylon in gentibus. vsquam sit. et capta es babylon et nesciebas. Inuenta es et apprehensa. quia domino prouocasti. aperuit dominus thesaurum suum. et protulit uasa ire sue. quia opus est domino deo exercituum in terra chaldeorum. Venite ad eam ab extremis finibus. aperite ut exeant qui eo ad[]ecent eam. tollite de ea lapides. et interficite eam. ne sit ei ulla reliquias. dissipate omnes hostes eius. descendant in occisionem. Ve eis quia uenit eorum dies. tempus visitationis eorum. Vox fugientium et eorum qui euadere de terra babylonis. ut annuntient in sion ultionem dominum dei nostri. ultionem templi eius. Annuntiate in babylone plurimis. omnibus qui tendunt arcum. Consistite aduersus eam per gyrum. et nullus euadat. Reddite ei secundum opus suum. iuxta omnia quæ fecit. facite illi. quia contra dominum erecta est. adversum sanctum israel. Idcirco cadent iuuenes eius in plateis eius. et omnes uiri bellatores eius interficientur die illa ait dominus. Ecce ego ad te superbe dicit dominus deus exercituum. quia uenit dies tua. tempus visitationis tuæ. et cadet superbia. et corruet. et non est qui suscitet eum. Et succendam ignem in urbibus eius. et devorabit omnia circumquaque eius. Capt. xli.

Hæc dicit dominus exercituum. Calumpniam sustinet filia israel. et filius iuda simul. Omnes qui ceperunt eos tenet. nolunt dimittere eos. Redemptor eorum fortis. dominus exercituum nomen eius. Iudicio defendet causam eorum. ut exterminet terram. et commoueat habitatores babylonis. Gladius ad chaldeos ait dominus. et habitatores babylonis. et ad principes et ad sapientes eius. Gladius ad aruspices eius. et insipientes erunt. gladius ad fortes eius. et timebunt. gladius ad equos et ad currus eius. et ad omnem mixtum eius qui est in medio eius. et erunt sicut mulieres. pauebit gladius ad thesauros eius. qui diripientur. Siccitas super aquas eius erit. et arescent. quia terra sculptilium est. et in portentis glorientur. Propterea habitabunt dracones cum fauunis in carijs. et habitabunt in ea struthiones. et non habitabitur ultra usque in sempiternum. nec extruetur usque in generationem et generationem. Sicut subuertit deus sodomam et gomorram. et uicinas eius. ita non habitabitur ibi uir. nec inquilinus eam filius hominis. Ecce populus uenit ab aquilone. et gens magna et reges multi surgent a finibus terre. Arcum et scutum apprehendent. crudeles sunt

in pecu

ad